

Nihil ibi Pater, nihil Filius, nihil Spiritus sanctus, nec in tali negotio quicquam voluntatis divinæ intervenit, cuius ope scimus multos, ne laberentur, detentos; nullos ut laberentur impulsos, *Artic. 13. eorum qui falso sibi impositi.*

25. *Execranda igitur blasphemia Libertinorum, Deum peccati autorem sonora voce constituentium: & his succenturiantium hodiè Sacramentariorum sive Calvinistarum, qui tristissimum protoplastorum lapsum, & universam, quæ inde est subsecuta, malorum Iliada, non ratione pœnæ, sed culpæ, ad absolutum & eternum DEI decretum, ac efficacem ejus operationem, & voluntatem immutabilem referre non erubescunt.*

26. *Hæc enim ipsorum sunt Emblemata: Calvinii: Protoplastos DEI providentia sic ordinante lapsos: & ad damnationis causam (peccatum) DEI Ordinatione prædestinatos esse 1.3., Instit. cap. 23. § 4. & 8. cap. 21, § 7.*

27. *Bezæ Deum non tantum ad damnationem: sed etiam ad causas damnationis, (quæ profectò ipsorum etiam Adversariorum Cōfessione est peccatum) prædestinasse quoscunque voluerit. Vol. 1. Tractat. Theol. p. 417.*

28. *De æternæ mortis ac damnationis causa prima sic disseris Calvinus in Comment. super. cap. 3 Genes. Unde factum est, ut tot gentes unà cum liberis eorum infantibus æternæ*
MORTI